Viro Clarißimo,

D. ANDREÆ RIVETO

S. P. D.

ANNA MARIA A SCHURMAN.

NOn est quod dubites, Vir reverende & in Christo charissime Pater, nec quidem te dubitare existimo, quin in omnibus sive prosperis, sive adversis, idem nobis sit, qui vobis, animi sensus: maximè verò in iis, quæ vitæ tuæ incolumitatem propiùs tangunt. Neque enim affectus nostri in communi tantùm Christianæ charitatis vinculo (quo vel solo hæc συμπάθεια sibi optimè constare possit) sed, quod plurimum huc conferre solet, peculiari quadam necessitudine & amicitia arctissima conglutinantur. Maturius equidem Literis testata fuissem dolorem nostrum, nisi serò, & jam superato malo de morbo tuo nuntiatum nobis fuisset; adeo ut nihil mihi reliquum sit,

quam

quam ut doleam me vobis condolere non potuisse. Libellum, seu gemmam verius, quam mihi in perpetuum animi tui cum meo consensus Symbolum mittere dignatus es, exosculata sum non semel, & tanquam monile longè pretiosissimum nusquam non circumferre soleo. Quid ni? cum nullum divini pariter ac tui erga nos amoris luculentius exhiberi possit argumentum. Cæterùm quod tàm honorificè de scriptis meis pronunties, αὐταύτην αἰτίαν agnosco, & animum tuum verè paternum, & meam hac in parte felicitatem, siquidem, juxta illud Poëtæ:

Principibus placuisse viris non ultima laus est.

Vale, Vir præstantissime, & salutem à nobis omnibus amicissimam accipe. Ultrajecti v. Maii, cIↃ IↃ c XXXVIII.